CANONES SICVT BREVISSIMI, ITA ETIAM DOCTISSIMI, COMPLECTENTES

tes præcepta & obſeruationes de mutatione Auræ, Clariſsimi Mathematici Ioannis Verneri Norici.

Impreſſum Norimbergæ in officina Iohannis Montani, & Vlrici Neuber, Anno Domini M. D. XLVI.

CATHOLICÆ
ET APHORISMI SVPER AERIS MVTATIONE IO. VERNERI

Nurnbergenſis, pro initio Septimi climatis, atq; ſub dio Nornbergenſi, in decimo quinto Parallelo per Boriſthenen, Cuius latitudo ſubijcitur gaduum 49

SOLEM Deus Optimus Maximus talem ab initio formauit, ut omne ſidus aliud magnitudine ſua ſuperaret, ac ſummę lucis ſuæ, & uirtutis ſplendorem atq; poteſtatem, cæteris ſideribus omnibus mutuaret miniſtraretq;, diei deinde ac noctis uiciſsitudines oriens & occidens mortalium oſtenderet oculis, ut cuncti animantes interdiu operi, pręparandisq; æſcis inuigilarent, atq; eorum diurnis laboribus exhauſtas corporũ uires, ſomno & quiete tranquillę noctis, quæ omni oꝑationi inepta exiſtit, reſtaurarentur. Sol deniq; omnium ſiderum maximum, ſplendidiſsimumq; ac potentiſsimum exiſtens, erratica ſidera, ſuis uiribus, quotiens ad illa ſui luminis radios & aſpectum direxerit, ad perutilem operũ eorum influxum exti-

extimulat, ut temporum diſpoſitiones, quantum ad quatuor primas & elementares qualitates, uidelicet humorẽ, ariditatẽ, feruorẽ, ac gelu attinet, uariari altera riꝗ cogant. Sol deniꝗ per eius acceſſum atꝗ receſſum à nobis anni tempora uaria conſtituit, præſertim Ver, Aeſtatem, Autumnũ & Hiemem. Quandocũꝗ enim Sol ad feruentis naturæ aſtrum, uelut ad Martem aut Iouem defluxerit, calida aëris diſpoſitio tempori ſuggeritur. Si autem ad frigidum uelut ad Saturnum aut Mercurium ſuos deflexerit radios, aëris tunc complexio gelida frigiditatis affectione diſtemperatur, mutuus quoꝗ ſiderum, quæ eiuſdem exiſtunt complexionis conuentus, eandem auget qualitatem, ueluti Iouis Martisꝗ cõplexus ſui uirtute caloris geminata regionem aëris inferiorem eſſe cogunt feruentiorem. Multis Planetis exiſtentibus in ſignis æſtiuis ſiue ſeptentrionalibus, maxime Planetis ſuperioribus fit calida æſtas, aut hyemis tempore aër temperatus. Sic quoꝗ contrarium accidit, ſi Planetæ multi, præſertim ſuperiores tres ſub ſignis auſtrinis uehantur, tunc enim frigida & humida aëris periſtaſis apparet, & hyemis complexio frigidior. Saturni deniꝗ aſtrũ in auſtrinis ſignis, & pręcipue in Capricorno & in Aquario, horridas gelu conflat hyemes, & ęſtates feruore remiſſas, & eorum fructuum, qui ſolem amant, uelut uini chariſtiam & aduerſum prouentum. Rurſus Saturni uis gelida Mercurij ſocietate, ſi duplicata fuerit, qualitatem temporis frigidiorem efficit. Quod ſi

talis

talis errantiū siderum conuentus aut aspectus in plenilunio, aut interlunio, aut sub alia Solis, Lunæq; radiatione acciderit, eò efficatius suæ uirtutis apparebit operatio. Talesq; ipsius Lunæ ad Solem figuræ Græci Centra, Arabes Athasir appellant. Præcipue in illo triduo interlunium, uel pręcedente uel concomitante uicaria errantium siderum radiatio & societas, suæ uirtutis uigorem perhibent ampliorem. Quando autem stellæ contrariam habentes complexionem mutuæ radiationis commixtione iunguntur, erit temperata quædam aëris affectio. Pari ratione sentiendū erit, si eodem tempore diuersarum naturarum acciderint constellationes, quarum una gelu influit, altera feruorem, seu si earum altera aridum demonstrat aërem, altera humidum, igitur necesse erit temporis mediocritatem fieri. Contrariarum enim uires constellationum sese mutuò impediunt, atq; uicissim temperant. Solis enim cum Ioue aut Marte societas, aut radiatio in signis igneis utrisq; constitutis, maiorē operatur calorem, quàm altero signum frigidum, & altero calidum signum possidente. Plenilunia deniq; & interlunia in angulis particulariter constituta, & pręsertim in horoscopo, uel angulo terræ, eodē die quo ipsum interlunium aut pleniluniū fit, hymbrem deducere consueuerunt. Solent etiam effectus constellationum plerunq; ante accessum siue applicationem, quandoq; in separatione & defluxu siderum euenire, Quā rem Græcorū prisci obseruatores Epichema-

sin

ſin & prochemaſin Græce appellarunt. Sunt & qui coniunctionem,[1] Solis & Lunæ obſeruantes, erigunt thema eodem tempore, Eligunt almutam, aut Planetam uirtute & teſtimonijs dignitatum reliquos uincentem. Conſiderant etiam Planetas exiſtentes in angulis, et ad hos omnes dirigunt horoſcopum coniunctionis, dando pro gradu 13. & minu. 11. diem unum, iuxta medium motum Lunæ. Et quando huiuſmodi directio horoſcopi peruenerit ad planetam exiſtentem in aliquo angulorum, aut ad almutam, ſolet etiã aëris mutatio accidere, ſiue pluuijs, ſiue uentis excitatis, aut alijs quibuſdam obſcuritatibus aërem turbare. Præterea quando Luna ad horoſcopũ Coniunctionis uel Oppoſitionis, uel alia Stella pertranſierit, mutationem accidere ſæpius fuit obſeruatum. Congreſſus etiam Planetarum cum ſtellis fixis haud longe ab Ecliptica diſcedentibus, notabilẽ faciũt aeris mutationẽ. Et quando Sidera in alia zodiaci dodecatemoria tranſmutantur, hymbrẽ decidere præſignant: habita tamen ratione qualitatis ſignorum & temporum, uelut in ſignum aquaticũ ſi fiat mutatio, & tempore hyemis, aut ueris pluuia, uel nix eò citius & certius denunciabitur, hyemis quidẽ tempore nix, ſi frigida alioquin exiſtit temporũ periſtaſis. Obſeruatur Solis etiã ad Lunã & Planetas interuallũ, quod conſtat aggregatione orbis ſolis, & orbis planetæ ad eundem Solem configurati, in acceſſu & defluxu eiuſdem figurationis, & pręcipue in conuentu Solis cum

planetis, qui fit per coniunctionem corporalem, Veluti in defluxu Solis, ad coniunctionem Saturni, quoniam Solaris orbis existit graduum 12. & Saturni graduũ 9. ergo Sole à Saturno distante gradibus 21. qui numerus graduum ex 12. & 9. conflabitur, incipit esse frigus, quod durat plerunq;, donec Sol à Saturni coniunctione recedens, à Saturno rursus distiterit gradibus 21. Planetæ etiam opposita habentes domicilia, sibijnuicem forti aspectu, uelut diametro, quarto aut trigono configurati, memorabilem efficiunt mutationem, aut per pluuiam, aut frigus uel calorem, Veluti si Sol Saturno sic configuratur, efficit frigidam aëris peristasim, presertim in signis aquaticis utroq; uel altero existente, Æstate quidem crebras pluuias, hyeme uero frigus & niues frequentes. Sic quoq; Veneris & Martis configuratio teporem, atq; tepidos himbres efficere plerunq; solent. Iuppiter deniq; & Mercurius configurati, uehementes uentorum flatus suscitare, & commouere quamplurimum consueuerunt. Hæ configurationes Solis cum Saturno, Veneris & Martis, Iouis & Mercurij à priscis illis Mathematicis portarum seu ualuarum apertiones dicuntur. Ortus etiam & Occasus in mundo 15. fixorum siderum primæ magnitudinis, atq; 15. secundę magnitudinis quas CL. Ptolemęus in suo Calendario suis adnotationibus obseruauit, negligendi nõ sunt. Nam eisdem diebus, quibus Ortus & Occasus mundani contigerint, si plenilunium aut interlunium accesserit, aut cum eisdem fixis sideri-

bus

bus Planeta quidam conformis naturæ ſimul oritur uel occidit, aut alioquin, memorabilis conſtellatio acceſſerit, haud dubie notabilem quandam aëris efficiunt mutationem.

Adde etiam quod planetis peruenientibus ad angulos mundanæ reuolutionis aut Coniunctionis & Oppoſitionis luminarium, aëris accidunt mutationes, iuxta illorum complexionem & naturam. Item facta Oppoſitione aut Cõiunctione trium ſuperiorũ tum inter ſe, tum ad tres inferiores, ſi Luna paulopoſt ad eoſdem per oppoſitum aut quadratum aſpectum applicuerit, facit ipſa caſum hymbrium, aut uentorum motum iuxta naturam Planetarum, qui coniuncti uel oppoſiti fuerant. Statio deniqȝ Saturni utraqȝ, prima uidelicet & ſecunda, gelida tempora pronunciat. Et quia exempla, aut experimenta crebra quâm maxime nos inſtruunt, ideo præmiſſæ doctrinæ demonſtrandȩ ſunt per prȩteritos ſiderum ac Planetarum effectus, Veluti

ANNO DOMINI M. D. XIII.

9. Februarij Sol ingreſſus Piſcis ſignũ, applicuit ad trinum Saturni Stationarij, Multis itaqȝ diebus ingens gelu, cum multa niue extitit, & uentus Argeſtes crebre flabat.

Eodem Anno â prima die Ianuarij uſqȝ ad 15.

 dies

dies eiusdem Mensis magnus admodum aëris tepor, extitit, haud secus quàm qui in Vere solet accidere. Tunc enim iungebantur calida duo sidera Iuppiter & Mars in ultima facie Piscium.

Circa 16. diem eiusdem Mensis Ianuarij Saturnus & Mercurius frigida sidera tetragono sibi configurabantur aspectu, eo die haud mediocre gelu Argeste flante cœpit esse, densæq; niues recidebant.

A die 9. Februarij usq; ad dies septē decim eiusdē Mensis, aëris extitit gelidissima peristasis. Et quia circa idem tempus Veneris astrum defluebat ad coniunctionem Iouis, fuit magna aëris & serenitas & tranquillitas. Iouis nanq; & Veneris astra mirum in modū placidæ & tranquillæ sunt complexionis, usq; adeo ut hæc sidera sese inuicem complexa, summam aëris efficiant temperiem.

Die 17. Februarij in meridie iuxta meæ considerationis obseruationem, fuit coniunctio Iouis & Veneris in 9. gradu Arietis, eo die tantum & tam intensum gelu fuit mediocriter remissum, & summa flatuum sedatio, nubila tamen aëris affectio sic ut Sol nō emitteret claros sui spendoris radios, nec sequenti nocte sidera uidebantur. Durauit hoc aëris temperamentum usq; in diem 19. Februarij.

Die

Die 19. Februarij, propter plenilunium, & Martem in signum Tauri ingressum, niues copiosę recidebant, flante Argeste uento satis procelloso, qui durauit usque in diem 21. Februarij.

23. Februarij, quia Sol quasi per 1. gradum recesserat à trino Saturni. Ideo remissum fuit gelu, & magna & ingens aëris tranquillitas eodem die apparuit.

Die 1. Martij Subsolanus uehementer flabat propter coniunctionē Solis & Mercurij, Mercurius nanque plagam orientis sibi uendicat.

Die 3. Martij, niue mediocri cadente, aër quodam tepore satis temperatus extitit, puto enim in causa fuisse orbium Veneris & Martis mutuam conmixtionē, aut fortasis etiam, quia triduum tunc fuit interlunij.

Die 4. Martij, quædam frigida aëris peristasis fuit flante Subsolano, & glacie niueque liquescentibus: fortasis id efficiente Trini Mercurij ad Saturnum applicatione.

Die 7. Martij, Summa fuit serenitas, & tranquillitas aëris, Venus tunc fuit ingressa Taurum. Durauit hæc serenitas usque ad diem 15. Martij. Deinde uero usque ad diem 19. Martij, propter applicationem Veneris, ad oppositionem Saturni, aër fuit nubilosus, tranquillus tamen, nullis pluuijs cadentibus.

Eodem die 18. Martij iuxta calculationem tabularum Alfonsi, fuit oppositio Veneris & Saturni, & paulò ante Occasum Solis, cœpit esse serenum. Durauitq; hæc serenitas usq; ad diem 21. Martij, quo dimidia hora post meridiem fuit plenilunium, præcise in uespertino exortu Aristæ, quam constellationẽ mediocres comitatę sunt procellę et grandines, durauitq; hęc cõstellatio, seu aëris peristasis per biduum proxime sequens, ac deinde ad quinq; dies serenum, gelido tamẽ Borea flante, & iccirco gelida in aëre peristasis.

Die 27. Martij, fuit coniunctio Martis & Veneris, efficiens paruulum quoddam frigus, & aëris tranquillitatẽ, noctis uero tempore imber subsequebatur.

Die 28. Martij, coniunctio Solis & Iouis concitauit Argestem uehementer flantem, & quædam imbrium sparsio extitit, â meridie uero usq; ad uesperam, seu in occasum solis, serenus aër extitit.

Die 29. Martij propter uespertinum exortum Aristæ, satis magnũ fuit frigus, & mane gelida pruina sparsa fuit, atq; glaties apparuit, & cõgelatio aquarum. Accessit quoq; ad hunc Aristæ exortum, configuratio cunctorum fermè planetarum ad lunam, durauitq; hoc gelu tota fermè die, Borea leniter spirante.

Die

Die 1. Aprilis, Venus ingressa fuit Geminos 3. die Aprilis. Mercurius introiuit Arietem. Die 5. Aprilis, Mars ingressus est geminos. Nullo tamen horũ dierum memorabilis facta est aëris mutatio, manente continua serenitate, et nonnunq; leniter flante Borea, gelidamq; aëris peristasim efficiente.

Die 16. Aprilis fuit coniunctio Mercurij & Iouis, Fauonio uehementer flante, mediocre gelu apparebat. Hæc igitur coniunctio apertionem fecit portarum uentis, Hoc etiam frigus, diametra solis ad Saturnũ applicatio, non parum auxisse uidetur, aëris etiam fuit obscuritas, cœlo nubibus obducto, uespere imber exiguus cadebat.

Die 20. Aprilis, pro consueta qualitate temporis satis superq; magnum frigus fuit, pluuia copiosa cadebat intermixta grandine: noctu uero nix decidit exigua, quæ usq; in quinq; horas sequentis, uidelicet diei uicesimi Aprilis durauit. Hanc dispositionem aëris accidisse puto, propter oppositionem Solis & Saturni, qui faciunt apertionem portarum pro gelida peristasi, imbribus, Auxit quoq; frigidam aëris qualitatem eodem die in Taurũ ingrediens Mercurius, atq; accedens ad oppositionem Saturni. Vterq; autem, tam Mercurius quàm Saturnus, frigidę affectionis existit.

Die

Die 23. Aprilis, ingens apparuit gelu, usq; adeo, quòd ex eo aquæ fuerant cõgelatæ, Putaui frigus hoc fieri ob defluxum Mercurij ad Saturnum, in hoc triduo aër subobscurus apparuit, Sole etiam cum pleiadibus constituto & oriente, gelu id auctum fuisse, nõ est dubitandum, Borea per hoc tempus haud mediocriter spirante, & in mane pruina cadente, hoc itaq; gelu usq; ad diem 27. Aprilis durauit, eoq; die 27. Aprilis, Venus translata est in signũ Cancri. Hic itaq; Veneris transitus & frigus pariter, & siccitatem temperauit, Nam hoc die ferè toto, lenis hymber spargebatur, borea mediocriter flante. Ita quoq; 28. & 29. diebus Aprilis aër turbidus fuit, cadente aliquando mediocri hymbre. Fortasis hæc aëris mutatio, ideo facta fuit, quia Venus peruenerat ad cuspidem septimæ domus, quæ in gradu 2. Cancri extitit, hac annua mundi reuolutione, ad Horizontem & meridianum Norimbergensem.

30. deniq; die lenis hymber spargebatur, ac die 1. Maij paruam quandam hymbrium sparsionem effecit. Idem transitus fuit Veneris per cuspidem septimã mundanæ reuolutionis eiusdem orizontis. Reliqua & maiore parte diei calida & serena existente, cicadis per compita resonantibus. Huiusmodi deniq; aëris tranquillitas durauit, usq; ad diem 5. Maij.

Die 5. Maij, Mercurij sidus fuit ingressum Geminorum

minorum signum, mediocriter flante Borea, & succedente hymbrium casu satis temperato.

Die 6. Maij, mediocris pluuia cecidit, auditaq; sunt tonitrua, temperanter flante Borea, propter trinum Saturni, & Veneris.

Die 8. Maij, pluuia copiosa decidit, fortassis propter coniunctionem Lunæ & Veneris, in septimo loco reuolutionis mundanę.

Die 9. Maij, nubes apparuerunt, & frigora, molliter Borea flante.

Die 11. Maij, Sol fuit ingressus Geminos, & uesperi paulo ante occasum Solis, fuit secuta pluuia tenuis, & modicę hymbrium aspergines.

Deinde die 12. Maij, ferê per totam diem pluit, & satis temperatus ac quietus fuit hymbrium casus.

Ab hoc 12. die Maij, usq; ad 21 Maij, aër fuit inquietus & tempestuosus, Aquilonari uento cōtinue flante, cadentibus aliquando hymbribus. Et iuxta tabulas Alfonsi die 21. Maij, Iupiter in Taurum, & Mars in Cancrum transgressus est.

Et die 22. Mercurius introiuit Cancrum. His itaq; diebus, magna fuit aëris tranquillitas, & summa aëris

ſerenitas atq; mediocris calor.

Die 24. quia Mercurius peruenit ad 2. gradum Cancri, ad ſeptimam uidelicet mundanæ reuolutionis, flauit uehementer Subſolanus, copioſe comitantibus pluuijs.

Die 25, Mars ad eundem gradum peruenit, cœlo mugiente ualidis tonitruis, & ſequenti nocte quaſi tota pluente.

Die 28, fuit trinus Saturni & Mercurij.
Et die 29. Maij, fuit Quadratus Iouis & Veneris.
Et die 30, ſubſecutũ eſt mediocre gelu, & copioſa pluuia, per totam fermè diem durante.

Die 6. Iunij, in nocte copioſa pluuia, ꝓpter Quadratum Saturni & Veneris, & quia illa fuit tertia dies poſt coniunctionem Solis & Lunæ, flante Euro, de partitione & plaga Veneris.

Die 13. Iunij, Sol fuit in gradu 1 Cancri, hoc die tonitruis cœlum mugiebat, comitantibus largis hymbribus. Similiter die 14, tonitrua fuerunt audita, largis hymbribus profuſis. Quia tunc Sol uenit ad gradum ſeu cuſpidem ſeptimæ domus annuæ mundi reuolutionis, quę Normbergę fuit, prope in gradu 2, Cancri.

Die

Die 19. Iunij, fuit trinus Solis & Saturni, apertio uidelicet portarum, & uterq; fuit in signo aquatico, Sol quidem in Cancro, Saturnus uero in Scorpione. Eodem quoq; die penè toto uehemēter pluit, copiosè hymbribus cadentibus, fortiter flante Zephiro. Hæc itaq; peristasis triduo durauit. Die 22. Iunij, omni moda serenitate redeunte.

Die 25. Iunij, oppositio Martis & Mercurij, Cancri, abundus imber integra illa die, & nocte durans cecidit.

Die 27. Iunij, Oppositio Saturni & Iouis, Saturno existente in Scorpione, pluit ferè tota illa die.

30. die Iunij, coniunctio Solis & Mercurij, in 18. gradu Cancri, magna etiam tunc cecidit pluuia. Harū pluuiarum etiam causa fuit, quod Cancer septimā tenuit cuspidem annuæ reuolutionis. Et quia Luna fuit diminuta lumine.

Die 8. Iulij, Mars existens in uespertino ortu lucidæ Persæi, & in uespertino occasu sequenti Gemini effecit uentos, & copiosas pluuias.

Die 14. Iulij, Sol existens in uespertino similiter ex ortu lucidæ Persæi, & in uespertino occasu capitis sequenti Gemini, per totā fermè noctē, uehementes concitauit pluuias. His itaq; diebus ingens calor apparuit. Huius enim causa fuit coniunctio Solis & Martis in Leonis signo, prope Procyonem.

Die 16. Iulij, oriente sub matutinum tempus procyone, facta fuit copiosa pluuia.

Die 18. Quadrangulus Martis & Saturni, Saturno existente in Scorpione & Marte occupante Leonis signum prope gradum 7. Leonis.

Die 30. & 31. Iulij, & prima Augusti, hoc triduo cõtinue pluit, arbitror in causa fuisse ingressum Mercurij, in signum Leonis, & ortum matutinum Aquilę, & quia oriente Aquila, factum fuit interlunium.

Die 10. Augusti, & sequentibus quatuor, Fauonius uehementibus flatibus spirauit, quos nonnunq̃ copiosi secuti sunt hymbres, & pro temporis qualitate intensum frigus apparuit. Huius aëreæ dispositionis causam puto fuisse Saturnum in octauo gradu Scorpionis, cui simul in septimo gradu Scorpionis lucida Boreæ chelę cooriebatur, & in gradu octauo Scorpionis Austriæ lucida chelæ exoritur. Cauda quoq; Leonis in gradu Virginis oritur.

Die 16. Augusti, uehemens & copiosa pluuia cecidit, mugientibus tonitruis, in causa puto fuisse ingressum Mercurij in Virginem, atq; in proprium domicilium,

Die 18. 19. & 20. hymbres abundi ceciderunt,

horum

horum causam fuisse existimo coniunctionem Solis & Mercurij, cum lucida stella Hydræ, quæ in tertio gradu Virginis, exoriebatur tunc cum Sole.

Die 22. Augusti, propter sextilem Saturni & Solis, fuit frigus, & apertio portarum pro frigore.

Die 23. Copiosus hymber cecidit, fuit Trinus Iouis & Mercurij, apertio scilicet portarum pro pluuia, & eodem die, Mars fuit translatus in signum Virginis.

Die 1. Septembris, copiosus hymber per totã illam diem delapsus est. Huius causam puto fuisse, ꝙ die 30. Augusti, coniunctio Solis & Lunæ, facta fuit propè fidiculam mane occidentem, die ultima Augusti. Et quia Venus, die prima Septembris, cum Cane mane oriebatur.

Die 7. & 8. Septembris, & præcedentibus duabus noctibus, pluuiæ fuerunt delapsæ, fuitq́ eisdem diebus obscura aëris peristasis, eam accidisse puto propter Oppositionem Saturni & Iouis, & Sextilẽ Saturni & Martis, ac Trinum Iouis & Martis, qui eisdem fuere diebus.

Die 13. Septembris, fuit aëris obscuratio, & mutatio quædam pro pluuia. Sol enim tunc ingressus

 fuit

fuit signum Libræ, cum eodem quoq; Arcturus oriebatur matutinus.

Deinde 14. Septembris, pruina cecidit, cum mediocri gelu, quia Mercurius cum Arista oriebatur mane.

Postea tribus diebus scilicet 15. 16. atq; 17. Septembris, uentus Boreas uehementer flauit cum satis magno frigore, cadentibus etiã pruinis. Puto huius causam fuisse, Mercuriũ circa 21. gradum Libræ constitum, in quo fidicula mane peroritur, & Cauda Leonis uesperi occidit. Eisdẽ deniq; tribus diebus, ingens fuit aëris serenitas. Huiusmodi etiã serenitas, durauit usq; ad diem 9. Octobris, quoniam hoc dierũ interuallo nulla penè notabilis accidit constellatio, quæ aliquam aëris efficere potuisset mutationẽ, præterq; die 1. Octobris, quo matutino exortu Mercurij cum chelis, biduo cœlum rubescebat cum pluuiarum significatu, nulla cadente pluuia.

Die 9. Octobris, Fauonij flabant, sequente modica hymbrium roratione, Mars hoc die Libræ signum ingressus, mane oriebatur cum Arcturo.

Die 12. Octobris, turbidus fuit aëris status, flante Africo, & cadentibus mediocribus hymbribus, puto fuisse in causa Lunã in oppositione Martis, & Arcturi orientium.

Die

Die 13. Octobris, à mane usq; ad meridiem, copiosa cecidit pluuia, & nocte præcedente similibus pluuijs cadentibus, Fauonius uehementer flauit. Sol tunc signum Scorpij ingressus in diametro Lunæ cõstituebatur.

Die 16. Octobris, pluuia cecidit mediocris, & quædam quasi rorationes, mediocriter flante Lybe, aut Africo. Causam huius rei puto fuisse matutinum occasum fidiculæ, Venere exoriente.

Die 18. Octobris, Lybs aut Africus acriter flauit, cadentibus interdiu, & noctu rorationibus hymbriũ. Eodem die Mars manè exoriebatur cum lucida stella Coronę septem. Eodem etiam die fuit Oppositio Solis, Iouis. Hęc deniq; dispositio aëris biduo sequẽti perseuerauit, serenitate primũ reddita in die 21. Octobris.

Die 22. Densæ nebulæ turbabant aërem, ipsis nebulis tota die quodammodo rorantibus, Arbitror in causa fuisse coniunctionem Solis & Mercurij, in gradu 9. Scorpionis.

22. die, turbidus quoq; & obscurus aër uidebatur, tota ea die Sole nusq̃; apparente, tunc Austrina chelę occidebat uesperi. Durauit itaq; turbidus huiusmodi aër, usq; ad diem 29. inclusiue, Calida tamen fuit aëris dispositio pro temporis conditione,

Die

Die 30. Octobris, duabus existentibus portarum apertionibus, uidelicet, cōiunctione Saturni & Solis, et Oppositione Iouis & Mercurij, nulla accidit aëris pturbatio, sed eo die fuit aëris tranquillitas atq; serenitas, cum Sol multis diebus ante non splenduerit, neq; uisus est, cuius rei summa me ceperat admiratio. Nam iuxta meam coniecturam Coniunctio Saturni & Solis, solito more debuerat fecisse intensius frigus, quod non fuit. Et Oppositio Iouis & Mercurij, uentos gelidos, uelut Orientales, aut Argesten commouisse. Puto utranq; harum constellationum uicissim impeditam fuisse.

Die 6. Nouembris, frigidus Boreas uehementer flauit, fuit per triduum gelida aëris peristasis, puto in causa fuisse partim matutinum Aristæ exortum, cum Mars in 16. gradu Libræ, partim defluxum Solis à Saturno, quem ueteres epichemasin appellant.

Die 9. Nouembris, aliquando Argestes quandoq; Libs spirabat. Eodem die Mars cum fidicula mane oriebatur, & cum cauda Leonis uesperi, his cessantibus uentis, aërisq; tranquillitate facta, frigus fuit ingens, mediocri niue cadente.

Circa diem 10. Nouembris, Aquilo flabat acriter frigidus. Eodem tempore Venus cum fidicula oriebatur mane, uesperiq; cum cauda Leonis occidebat.

Die

Die 18. Nouembris, Venus peroriebatur cum Arista, eodē die frigus fuit remissum, et paulatim minuebatur, usq; ad coniunctionem Martis & Veneris, quę secundum calculum facta fuit die 26. Nouembris. Eodem die, tenuis quædam pluuia, ad instar roris spargebatur, pari ratione nocte sequenti ferè tota pluebat, modice stillantibus tectis.

Die 27. Nouembris, Oppositio Iouis, Martis & Veneris, Aquilonius uentus acriter spirabat. Eodem die Mercurius in Sagitarij signum translatus, frigusq; remissum est. Durauitq; remissior huiusmodi aëris peristasis, ad 1. Decembris, ubi nix exigua præcedenti nocte cecidit, quia Mercurius oriebatur dextro humero Orionis mane occidente, & Mercurius etiam tunc oriebatur cū Antare, id est, Corde Scorpij. Fuitq; eo die, summa aëris tranquillitas, & temperies.

Die 8. 9. 10. Decembris, uehemens fuit gelu, mediocriter ac leniter flante Subsolano, cœlum tunc nubibus fuit obductum, puto tale frigus accidisse propter apertionem ualuarum pro frigore, quam effecit Luna defluens ad Martem, Venerem & Saturnum. Eisdem diebus Arcturus occidit uesperi, & procyon mane. A prima Decembris, usq; ad diem 12. eiusdem, aër fuit obscurior. Solisq; radij interdiu penè nihil apparuerunt. Noctis uero tempore nubila contegentia stellas, non sunt passa eas â nobis aspici.

D Die

Die 12. Decembris, Sol ingressus principium Capricorni, Trinū habuit Iouis radium, quapropter frigus fuit remissum. Huius deniq; caloris causam, puto etiam fuisse Venerem, eodem die Saturno coniunctam, quæ illius horrorē, & gelidam affectionem temperauit, per noctem sequētem, mediocri niue cadente.

Die 15. & 16. Decembris, Boreas acriter flauit, subsequente niuis casu mediocri. Puto causam huius fuisse ingressum Mercurij in Capricorni signum.

Die 19. Decembris, Auster uehementius flauit, & præcedente nocte nix copiosa cecidit. Puto in causa fuisse ingressum Veneris in Sagitariū, Mars exortus fuit Pleiadibus occidentibus, & Venus orta fuit occidente lucidiore Hyadum, Saturnus occidit cum antare, id est, cum raptore. Sol, Mercurius, fuit in gradu Capricorni, quem puto in anni principio fuisse perortum, cum gradu 2. super meridianum Norimbergen. iuxta Modernam obseruationem.

Die 23. Nebula & frigus intensum, Luna tunc iungebatur Veneri, ad eam defluens. Et Venere occidente dexter humerus orionis occidit. Hydrus deniq; mane occidit. Et humerus dexter orionis oritur uesperi, in defluxione Martis ad Saturnū, dum distiterat per gradus ferè duos, aër factus est serenior atq; temperatior, insuper gelu quod ante hac satis erat magnū, fuit

remissum

remiſſum. Hæc coniunctio Martis & Saturni, ſecundum meam conſiderationem, fuit ferè in medio noctis, quæ ſequitur diem 27. Decembris. Deinde poſt ſeparationem Martis à Saturno, aër factus eſt obſcurior atq; gelidior, ſummeq; tranquillus, leniſsima ſpirante aura, ex aquilonari plaga.

ANNO DOMINI M. D. XIIII.

Ianuarij die 7. aër cœpit eſſe remiſsior frigore, & temperatior hymbre, atq; niue cadente. Saturnus ueſperi occidit cum antare, & Venus oriebatur oriente mane lucentiore Perſei. Et Mars occidit oriente ueſpere priore Geminorum. Sed huiuſmodi temperamentum, & mutatio frigoris eo tantùm die durauit, rurſus ſubſequente gelida periſtaſi.

Die 12. frigidiſsimus Boreas acriter flauit, Mars tunc ſecundum ueritatem ingreſſus eſt principium Sagittarij. Hoc anno aſperrima & diutina fuit hyems, inchoans Anno Domini 1513. circa diem 9. Nouembris, & durans uſq; ad Annum 1514. die 24. Ianuarij, quo die glacies cœpit cum niue liqueſcere. Hac hyeme omnia flumina Germaniæ denſiſsimis glaciebus fuerant congelata, uſq; adeo, quòd Norimbergæ, nimia glaties fluminis, ferè omnia ſiſteret molendina. Et idcirco haud mediocris facta fuit penuria panis, ita quòd panes duplici precio uenderentur, eius quo uendebantur ante initium eiuſdem frigoris & gelu. Ferebatur,

quòd ob ægestatem aquæ & panis, multi Germaniæ populi montana inhabitantes, coacti sunt triticum & siliginem in aqua elixare, & eo pro pane uesci, atque ad campestria & ualles confugere, unà cum omnibus suis armentis & gregibus. In Rheno denique ac Danubio Germaniæ fluminibus, glacies tam densa fuit, ut sua altitudine, longissimi uiri proceritatem superaret. Rhenus, etiam Danubius, tam firmiter extiterunt congelati, ut plaustris & uehiculis onustis traijcerētur, & uiam equitantibus præberent.

Die tertia Februarij, fuit Quadratus Solis & Saturni, tunc etiam mediocre incœpit frigus, quod penè ad primā Martij durauit, niue plerunque cadente, atque gelu existente.

Circa diem 6. Martij, fuit Trinus Saturni & Solis, & paulo post sequutum est mediocre gelu, niue cadente, sed non diu durante, & ad maximum per triduum durante.

Similiter die 16. Martij nix cecidit, quæ biduo durauit.

Die 8. Martij, Boreas uehementissime flabat, propter Sextilem Iouis & Mercurij.

Die 19, ingens fuit flatus ipsius Austri, & cœlum fulmi-

fulminibus choruſcabat, ualidiſsimis tonitruis mugientibus, fortè propter Sextilem Mercurij & Martis, Vel quia Mercurius à Ioue defluens Marti applicuit.

Die 20. fuerunt procellę, & grandinoſus uentus ab Auſtro, propter eandem cauſam.

Multiplicibus experimentis indies didici ſuper aëris mutatione Saturnum ſummam habere poteſtatẽ, in generali aëris diſpoſitione. Veluti id apparuit, Anno Domini 1516. Nam eodem Anno Iupiter Leonis ſignum ingreſſus circa diem 12. Iulij, & Saturno, tunc in gradu 12. Sagitario exiſtenti per trigonicam radiationẽ iungebatur, quæ quidẽ trigonica applicatio fuit infra limites orbis utriuſq; planetæ, cum receptione Saturni in Iouis domicilio, quare tunc ſumme cœperat æſtiuus calor feruere cum maxima ariditate, nullis cadentibus pluuijs, durans uſq; ad diem octauum menſis Septembris. Circa hunc diem octauũ Septembris, completa eadem Iouis & Saturni trigonica applicatione, idem calor remiſſus fuit, ſequentibus modico poſt tridui tempore crebris & magnis imbribus. Pari modo circa diem Sancti Michaëlis, Quadratura Solis & Saturni, haud modica effecit frigora.
Pari ratione in applicatione Mercurij ad ſextilem Saturni radiationẽ, à prima Octobris, uſq; ad diẽ 9. Octobris, circa Solis exortum nebulæ apparuerunt cum haud medio cri frigore.

Item, quando plures Planetæ duobus in eodem signo fuerint, & duo ex eis ex tribus superioribus, quibus cōiungatur etiam Mercurius, aut aspectu aut coniunctione corporali semper portendit tempus humidum & pluuiosum. Velut Anno Domini 1517. circa diem octauam, mensis Iulij coniungebantur Iupiter & Mars in Leone, in 24. gradu, & Saturnus extiterat in 24. gradu Sagitarij, & Mercurius quoq; in gradu 17. Leonis applicabat Ioui & Marti quidē per coniunctionem corporalem, Saturno uero trigona radiatione. Circa prędictum diem fuit tempus humidum & pluuiosum, durauitq; aliquot diebus ante & multis post dictam diem octauam Iulij.

Idem quoq; accidit in mense Augusto, coniunctis, Ioue, Marte, Venere & Mercurio, à die 15. Augusti, usq; ad diem 5. Septembris, quasi omni die pluit, donec uidelicet Mars & Venus transferrentur in signum Libræ.

Item, Quotiens Luna per Quadratum, aut Oppositionem eidem cōiunctioni applicat, excitat hymbres, uelut patuit eodem Anno, die 5. Iulij. Idem quoq; expertum fuit Luna ad Trinum aspectum dictorum Planetarum applicante, die uidelicet 9. Iulij. Nam tunc copiosus hymber decidit à quarta diei hora incipiens, durauitq; usq; ad meridiem eiusdem diei. Idem contigit die 12. Luna in Quadratum Iouis, Martis & Mercurij incurrente.

Item

Item die 13. Iulij,5. horis poſt meridiem, Luna habens antiſcium cũ Venere,mouit turbinem & mediocrem procellam, abunde cadentibus pluuijs per dimidiam horam.

Die 15. Luna exiſtente, in Oppoſitione Saturni, Sextili Iouis, Martis & Mercurij, uſq; ad meridiem hymbres fuere, durauitq; huiuſmodi humida periſtaſis, uſq; ad diẽ 25. Iulij, ſicut omni die aliquando plueerat, ſed deinde cœpit eſſe ſerenior aëris diſpoſitio, propter ſeparationem Martis, & Mercurij à Ioue, & translationem eorum in aliud ſignum, uidelicet Virginis.

ANNO DOMINI M. D. XVII.

13. Nouembris, Sole intrante Sagittarium, & defluente ad gelidum Saturni ſidus, Similiter & frigido Mercurij Aſtro, iuxta ſtationem primam applicante ad eundem Saturnum, cœpit gelidiſsima aëris periſtaſis congelantibus aquis & niue cadente, durauitq; uſq; ad primam Decembris.

Item à prima Decembris, uſq; ad diem ſeptimũ. Ille calor & aëris temperamentum durauit, donec Venus ſepararetur à Trino Iouis, & Iupiter à Quadrato Solis, defluens ad Quadratum Mercurij Retrogradi quæ Quadratura Iouis & Mercurij accidit die ſeptima

ptima Decembris,tunc iterum terra ruraq́ꝫ & flumina cœperunt congelari.

Circa diem 16. Nouembris,transitus Veneris in Capricornū aliqualiter temperauit, existens in antiscio Saturni liquescentibus aliqualiter niuibus. Idem gelu moderatū fuit die 27. Nouembris, Marte trangresso in signū Sagitarij,& Venere constituta in antiscio Solis. Prçterea circa primū,diem Decembris, temperatū idem gelu fuit liquescentibus niuibus,propter quadratum Iouis & Solis , atqꝫ trigonum Iouis & Veneris.Solent enim calida sidera Iouis & Veneris,etiam in signis terreis calidam efficere aëris peristasim,quemadmodum Venus & Iupiter tunc terrea possederāt signa,Iupiter quidem Virginis signum prope gradum 20. Venus autem signum Capricorni, propè totidem etiam gradus.

Superiori Anno 1517.Vinum fuit in charissimo foro. Nam uini urna,quæ superiore anno 1516. pro florenis emebatur duobus Norimbergæ: deinde anno Domini 1517.in Nouembri & Decembri, duplo uendebatur precio,usqꝫ adeo gelida Saturni natura, bis terúe uites corrupat, In germine primū,deinde in flore,iuxta diem Ascensionis Domini,atqꝫ feria tertia Penthecostes.Postremo in Autumno,die 19.Septembris, propter quadratum Saturni & Mercurij.Nam racemis seu botris nondum ad plenū maturatis ge-

luq́ꝫ

luc̨ꝙ corruptis & putrescentibus uuæ defluebant, quæ res uindemię haud paruum attulit detrimentum.

Duo superiores Planetæ, uidelicet Saturnus & Iupiter, magnam habent uim in mutatione aëris. Nam quotiens Saturnus & Iupiter trigonica radiatione ad se inuicem figurantur, multis diebus pro qualitate temporis, magnus calor in aëre apparet, quod uidere licuit Anno 1518. in mense Aprilis, & tunc Saturnus & Iupiter, trigonici fuerūt adinuicem, & uterꝙ in statione sua, Saturnus prima, & Iupiter prope secundam stationem. Ergo tanto maiorem efficiunt calorem, quanto fuerint motu tardiores.

Antiscium Veneris & Martis calorē intendunt, augentꝙ præsertim in signis æstiualibus, seu Solstitio proximis, utputa in Gemino & Cancro. Velut Anno Domini 1518. die Augusti 17. Marte existente in gradu 12. Gemini & Veneri, in gradu 18. Cancri, uapor Solaris plurimum fuerat intensus, ultra solitam aëris peristasim, seu qualitatem.

Item, Ortus & Occasus 30. illorum fixorum siderum, cum planetis, uentos facit sequentibus hymbribus. Velut Anno 1518. die 18. Augusti, ortus matutinus lucidioris Hyadum cum Marte, die 29. ortus matutinus bellatricis cum Venere. His nanꝙ duobus diebus mediocriter pluit.

Item tribus aut pluribus planetis in eodem signo constitutis in septimo climate magna fit inconstantia aëris, atq; creberrimi hymbres, donec leuiores separentur à coniunctione ponderosorum. Præsertim si oriantur, aut occidant cum aliquo sidere fixo, primi aut secundi honoris. Velut Anno Domini 1519. â decima die, usq; in finem Augusti mensis, frequentes ceciderant pluuiæ, propter defluxum Martis & Veneris, ad contubernium Iouis, in signo Libræ, & ortum matutinum eorundem Planetarum cum stella Arista. Erat etiam tunc calidus äër, & aëris uapor haud mediocris, auxit etiam prædictum frequentium hymbrium casum, Lucentior hydri stella matutino ortu cum Sole peroriens. Nam à 14. Augusti mensis, qua Sol signum Virginis ingressus fuit, usq; ad diem 17. eiusdem mensis, prædicto anno crebri densiq; hymbres ceciderunt, id est, quousq; Sol tertium Virginis exiret gradum, in quo dicta hydri stella cum Sole matutino tempore, peroritur.

Die 20. & 21. pluuiæ ceciderunt, spirantibus Zephiro & Libe, quia tunc Luna peruenerat ad signum Cancri, id est, ad quadraturam Martis, Veneris, & Iouis, in signo Libræ simul coniunctorum. Fuitq; in hac Lunæ applicatione satis turbida peristasis. Hanc deniq; aëris tempestuosam perturbationem, Tetragonicus Veneris ad Saturnum defluxus, haud parum auxerat. Deinde usq; ad finem mensis apparuit serenitas aëris.

nitas

Circa diem ultimum eiusdem mensis Augusti propter Coniunctionem Solis & Mercurij, atq; ob trinum Mercurij & Saturni, frigus apparuit cum nubilis exiguo hymbre guttatim decidente.

Anno 1519. Die quarta Septembris, fuit Quadratus Saturni & Martis, accidit mediocre gelu, leniter flante Argeste, cœloq; nubilis obducto.

Itē ab octaua die Septēbris, id est, ab ingressu Mercurij in signum Libræ, usq; ad diem 16. Septēbris, id est, usq; adquadraturā Mercurij & Saturni, hymbres & gelu mediocres. Post diem 16. Setēbris, cœpit esse serenitas. Erat tunc Saturnus in Capricorno, in statione secunda.

Item, Quotiens Planeta ingreditur signum oppositum alteri suorū domiciliorum, facit pro complexione, sui haud mediocrem aëris mutationem, Velut Mercurio ineunte signum Sagitarij, aut Piscium, fit ut plurimum uehemens Fauonij aut collateralium uentorum excitatio comitantibus hymbribus haud modicis.

Planetarum opera, & naturales influxus potissimum sentiuntur iuxta eorum stationes. Nam quando stationarij sunt, eorum opus figitur, atq; in summo stat uigore, propter tardissimum eorū motum. Iccirco eorundem planetarum opus cum stationarij sunt

humanis ſenſibus, quantum ad quatuor attinet qualitates, manifeſtius pateſcit. Veluti ſi quis carbonem cadentem leui uelocic contactu per digitum tangit ignitus eius calor, parũ admodũ ſentitur. Vbi aũt carbonẽ ad contactũ digiti fixeris, igneus ille ardor candentis carbonis quam maxime manifeſtatur. Pari ratione, ſi glacies leni contactu, ac extremo penè digito attingitur, ipſius glaciei gelidiſsima qualitas non multum percipitur. Vbi autem manum in glaciei contactu firmaueris intenſio frigidiſsimę conſtitutionis in glacie plurimum pateſcet.

Haud diſsimile eſt in planetis ſtationariis. Velut Anno Domini 1520. circa diem 9. Maij, Saturnus tunc ſtationarius exiſtens, haud mediocre frigus effecit, uſq adeo, ut ex gelidiſsima aëris periſtaſi omnia uitium germina perierint, atq à frigoris uehementia fuerint abſorpta, ita ut uinorum precia fuerint duplicata, ſummeq creuerint. Idem deniq gelu ſegetes læſerat, uſq adeo, ut annonę precia haud mediocriter aucta fuerint, qua de re accidit, ut ſiliginis ſextarius, quem Germani ſummariã uocant, qui antehac libris duodecim uendebatur, poſthac aucto precio libris 18. Norimbergæ uenderetur.

Vnde ſatis liquide conſtat admodum uana fore quorundam iudicia Aſtrologorũ, qui ut annonę fructuumq prouentus, ac precia prædicãt ad eorundem fru-

fructuum loca in Zodiaco, quas partes seu fata nominant, tantum respiciunt, nihil omnino considerantes siderum illorum influxum, quæ fructuum annonęque seminationi floribusúe, aut maturati plurimum possint, uel prodesse aut obesse. Annonę enim, aut fructuum prouentui, infausta aduersaque sidera, nonnunquam nocere solent in satione plantationeúe. Interdum in floris productione aliquando deniq; circa illud temporum spacium quod extreme eorum maturitati pro more, ac natura regionis seu climatis accommodatum est. Vnde si quis Astrologus de annonę, fructuumque ueridicam cupiat ferre sententiam, huic admodū conueniet considerare eas constellationes, quæ accidunt tempore germinationis, aut florum, quæ quidem constellationes, si gelidæ extiterint, id magno erit argumento ipsos fructus in ipsa germinatione, aut floribus, per nimium gelu perire. Quod si eædem gelidæ constellationes acciderint maturitatis tempore, uelut in Autumno, seu in mense Septembri, quo uinum & uuæ maturescunt, facilime conijci poterit idem gelu posse afferre haud mediocre detrimentum racemis & uuis, quo minus ad congruam sufficientemque perueniant maturitatem. Velut Anno Domini 1520. in mense Septembri, ob tarditatem ac stationem Saturni, nimium frigus immensumque gelu acciderant, quibus racemi uuæque per Germaniam fuerant plurimum læsi, & iccirco ad congruam debitamque maturitatem non peruenerunt, uinique ingens

facta fuit caristia, eiusq; precium ad summum creuerat, ita ut unus uini congius, seu urna in Norimberga tribus uenderetur florenis.

Iste siderum effectus sub cœlo Norimbergensi ita se habent, Fortassis sub Romano climate, quo maior est Solis aërisq; clementia & benignitas, alius erit annonę sub eisdem constellationibus prouentus.

FINIS.